Concha marina Rhomboidæa naviformis maior terreſtris coloris ſuâ tunicâ muſcoſâ adhuc hinc inde veſtita ê latere cardinis repræſentata, ut eius roſtra et planum inter roſtra ſitum, lineiſque ſuis notatum eò clariùs appareant.



Eadem ex oppoſito latere repræſentata. cum muſco Algæformi hinc inde adhærente.

Eiuſdem Conchæ valva ſeparata ex internâ facie repræſentata, ut linea recta, crenulis ſuis inſtructa, cum veſtigiis adhæſionis animalis, concavitate, et limbo obſcuriore internam cavitatem cingente appareat.

Valva Conchæ mediocris ê latere umbonis repræſentata, ſuâ tunicâ muſcoſâ liberata, et cum tubulo vermiculiformi adhærente.





Eadem minor cinericei coloris externè repræſentata.

Eadem minores internè repræſentatæ, cum limbo, et coloribus ſuis internis ſtriarum in modum diſpoſitis.